

In Obitum

*Honestissima, Pientissima, caterorumq; Muliebrium  
Ornamentorum Faemina Spectatissima  
Probatissimaq;*

MARTHÆ & Sindischin/

*Viri*

Nobilis, Excellentissimi, Clarissimi,

DN. TOBIÆ PONTANI

Phil. & Med. D. Illustris<sup>æ</sup> Ducisæ

Berolstadtensis Medici, & in Patriâ

Vratislaviensium Rep. Practici meritis-  
sumo suo celeberrimi,

*Uxoris desideratissima;*

*quæ a. d. XIV. Cal. Sextilis, An. Chr. MD. IXX. XLV.*

*anno etatis ipso LXX.*

*quæ animam*

*è senecti corporis vinculis tanquam*

*è carcere evolavit:*

*quæ corporis reliquias,*

*a. d. X. Calendas*

*Christianis Honoratissimisq; ritibus*

*humata:*

EPICEDIA

Honoris Solatiiq; ergò scripta.

---

BRESLÆ, Exscripsit GEORGIUS BAUMANNUS.





**Q**uod quondam, finxit Rabbinica turba,  
 bicorpor  
 Primus homo fuerit, foemina  
 masq; simul,

Donec diviso sexu divisus uterque  
 Mas ageret partes, foemina & ipsa suas,  
 Figmentum est fateor, verum quod diffluit alto  
 Sensu, si dicti viscera discutias.  
 Unus homo Conjux in carne bicorpor uterque  
 Unâ est, quos jungit nobile conjugium.  
 Tandem Morta subit discindens conjugem utrumq;  
 Alter ut in caelis, alter in orbe fiet.  
 Nonne ita Brücknere est prænobile fidus Hygææ?  
 Exemplo veram rem fateare tuo.  
 Unus homo in bino cum conjugè corpore vixit,  
 Dum vitæ vobis stamina JOVA dedit.  
 Nunc ubi mors vinculum rupit, svavisima conjux  
 In caelis partes lætitiæ peragit.  
 Tu verò in terris partes, quas dicitur Apollo,  
 Exples, ad caelum donec abire licet.  
 Mitte igitur luctum, Tua, quam jam plangis, olym-  
 Incolit, & caeli gaudia mille capit. (pum  
 In terris nostræ fuit Urbis pulchra corona,  
 Jamq; beatorum est pulchra corona chori.


Desuper

Desuper immundi mundi proscenia ridet,  
 Et vestita stolâ candidiore micat.  
 Hûicce tuam mentem junget quoq; JOVA solutam,  
 Corporis invalidi carcere pallidulo.  
 Interea miseris medicam tu porrige dextram;  
 JOVA tibi vires suggeret usque novas.


*Nobili & experientissimo Viduo*

*ex animo supra dicto scribebam*

ANANIAS Weber D.



Beatè defuncta superstitem Maritum  
 alloquitur.  
**S**tella chori medici, cui vivere, cuiq; valere,  
 Post JOVAM, acceptum plurima turba refert;  
 Mi conjux, Membris cur non defendis amatae  
 Conjugis, extrema frigora dira necis?  
 Nempe Patris superi decreto advenerat, omnem  
 Quæ vim Pæonia despicit hora manus.  
 Nec tamen est malè me factum. Quæ finit ævum  
 Hora soli, illa soli finit omne malum.  
 Principium vitæq; novæ, solidaq; salutis,  
 Spiritui hæc eadem contulit hora meo.  
 Hunc sovet æternis dignissima civibus aula,  
 Quorum Hippocraticam nemo requirit opem.  
 M. ELIAS MAJOR P. L. C.  
 Gymnasii Vratislaviensis Elisabetani  
 Rector & Professor, cæterarumq;  
 ibidem Scholarum Inspector.



Æscla-



**Q**uo se transacti tandem mora porrigat a vi,  
 Priscus ait Psaltes, nemo negat, quod ait.  
 Septenos vitæ decies absolvimus annos:  
 Adjicimus fermè, si mora longa, decem.  
 Si tua, Pæoniam, Pontane celebris, ob *Artem*,  
 Qui promptam stratis viribus addis opem;  
 Si tua tam longæ moriendi proxima meta  
 Martha cadit, nùm Te jure dolere putes?  
 Non reor: Et seram divina Pronœa senectam,  
 Indulsit, felix Et tua cura fuit.  
 Te protollendæ viguit Custode Salutis,  
 Præcipuè Domini robor a dante Manu.  
 Tandem, quò Fatum jubet ire, libenter eundum:  
 Nil juvat invito mista Medela DEO.  
 Tempora sunt socii, vidui sunt Tempora Lecti:  
 Temperat hæc, unus temperat illa DEUS.  
 Prolis erat casus, non puri Lectus Amoris:  
 Mutuus inter vos perpetuabat Amor.  
 Jam si plus Sociam thalami Subscriptor amavit,  
 Jus sit Et ad sese visere, nonnè probas?  
 Immò probas habitæ diuturnum Conjugis usum:  
 Jacturam sanctæ Conjugis immò probas.  
 Plasma probat meritò, quæ Plasta Facta probantur:  
 Quod facit, aut fieri præcipit, omne juvat.

*Fautori Et Amico lugenti  
 collugens fac.*

M. HENRICUS CLOSIUS  
 Gymnasii Magdalen. Rector.

Æsclepi

**Æ**sclepi soboles, alter, PONTANE, Machaon,  
 Herbarumq; ratâ Pœonis arte potens,  
 Quod nigris soleas pontem rescindere Parcis,  
 Morborumq; vetes ire redire genus.  
 Hocurit Lachesis sibi tot decedere prædas,  
 Et vitæ portus claustraq; tuta fore.  
 Te ferit ergo ferox obliquo vulnere Clotho,  
 Cum se directè posse ferire neget.  
 Nam te ne tollat, votis precibusq; fatigat  
 Soterem summum Patria tota Deum.  
 Sed te cum nequeat, jam certa nocere Marito,  
 Uxorem tollit dimidiumq; tui.  
 Grande quidem vulnus, sed quod medicabile tantum,  
 Quantum nostra tuâ est nixa Salute Salus.  
 Ac tua nunc Conjux securâ sede recepta est,  
 Quam neq; mors, morbus, nec medicina tenet.  
 Pluribus ut diuturna salus & vita superfit,  
 Tu vitæ Et sarto ponte salutis age.

*Memoria matronæ*

*Et*

*Saluti Medici scrib.*

CHRISTOPH. COLERUS.

Scazon.

**S**atis est, in annos quando septies denos  
 Mortalium spaciosa vita procurrat:  
 in quot Tuæ, peracta vita procurrat,  
 PONTANE Laus decens Medentium, MARTHÆ;

*fidej*



*fideq; CONJUGIS, pieq; MATRONÆ.*

*Hunc Ipsa diæ veritatis assertrix  
Scriptura, Mosis ore, Terminum fixit :  
quem, qui videntur transilire, rari sunt.*

*Movet tamen fidele cor, fides viva  
data, perq; pacti quina conjuglustra,  
Integritas perspecta : quò citra luctum  
non efferas busto suo reponendam.*

*Studet hoc Deum veritæ fidelitas Mentis,  
simul ut ad Aram, & ad Rogum fidem præstet.*

*Præstas, meresq; ; merite plurimum Breslæ  
de plurimis ; ut CONJUGIS dies seros,  
(quæ vota sunt;) præmetiare vivendo ;  
& Illius sic fata lenias felix,  
ut Abramides Materna fata lenibat !*

*Gen. 24. 7. ult.*

*L. M. Q.*

*adjiciebam*

*M. VALENT. KLEINWECHTERUS.*

*Q*ualis rapaci secta manu Ceres,  
Dum latrat agros Sirius æstifer.  
Immittitur tectis, & ampla  
Horrea divite messe rumpit :  
Talis severis subdita legibus  
Clothùs sub umbras vita fugit nigras,  
Ac in sinum vespillo terræ  
Vile falillum animæ recondit.

*Sed*

*Sed qui secutus corde Deum pio  
Vitam per omnem, dum moritur, polo  
Mentem remittit consecratam.*

*Ordinibus superùm serenis,  
Illuc profectus spiritus est Tuæ  
Liber catastâ deside corporis  
Pontane : Nam portus ad istos  
Vota sua omnia Martha misit.*

*Hæc arte quamvis restitui queat  
Asclepiana, cujus es artifex*

*Primarius ; vitam in priorem,  
Inde tibi renet redire.*

*Quin gratulanti prosequimur sono  
Coelo receptam, quin parili gradu  
Sacram viam vitæ secamus  
Ætheriæ cupidi quietis.*

*Condolentia seria contestanda gratiâ  
addebat*

*M. JOHANNES FECHNERUS.*

*Q*uod facit omnis homo, Conjux Brückneria fecit :  
Fecit at in senio, quod facit omnis homo.

*Sat vixit Mundo. mundana cedit curæ.*

*Nam vixit CHRISTO, dum fuit illa, suo.*

*Post miseris Senii curas, morbiq; procellas,*

*Navigat in cælum, serietate precum.*

*” Hanc Patriam tenuisse, bonum : quod spirat & optat,*

*” Qui bonus, & summo gaudet adesse Bono.*

*” Verus*



» Verus ut in Cælo reperitur portus; amena  
» Sic sine fine dies, & sine fine quies.

\*  
MANIBUS PIENTISSIMÆ  
MATRONÆ BRÜCKNERIANÆ  
HOC  
CHRISTIANÆ  
ut AFFECTUONIS icā PIETATIS  
MONUMENTUM  
brevisimo hoc Epigrammate  
L. M. Q.  
D.D.D.

WOLGANGUS STIRIUS.

**D**um, BRÜCKNERE, tori confors hæc tædia ponit  
Vita, & te solum sollicitumq; facit,  
Quæ lecto adstanti tibi mens, qui corde sub imo  
Singultus, & quâ te ratione geris?  
Numne hæc incusas inmittia stamina Parca,  
Aut objurgari trux Libitina meret?  
Carpis an Hippocratem, vanasq; Machaonis artes  
Et, tua quod valeat nil Medicina, doles?  
Non facis hoc, novi, quam vis tua pectora luctus  
Torqueat, & sensus anxia cura premat.  
Nec teneram livor tam mentem insedit iniquus,  
Dilectæ invideas ut meliora animæ.  
Respice divitias vitæ, atq; hoc futile tempus,  
In melius quod jam vertere deditic,  
Ipse dabis, sortem nunc Conjugis esse beatam,  
Nec vel posse stata prosperiore frui.

Quid

Quid præsens aliud, mera quàm migratio, vita est,  
Hostium & insidiis hospitium expositum?  
Felix, cui datur hanc Mundi liquisse tabernam:  
Haut citius tuto res sita nostra loco est.

Observantiæ & Solatii ergo  
f.

MATTHIAS MACHNERUS,  
Reipubl. Vratisl. à Latinis  
expeditionibus, nec non in Judi-  
ciis Orphanorum & Ecclesiastico  
Notarius.

**H**ei quantus penitum doloris æstus  
HO Pontane, tuum, Decus Medentum,  
Urit nunc animum, Deo jubente,  
Ut Conjux meat hinc, amata Conjux,  
Et partem tumulo sui relinquit,  
Partem sed supero refert Olympo!

Nam quis, quis vacuus queat dolorum,  
Fatis hinc rapier suam Maritus,  
Charam quam tenuit, videre Costam?

Ut semper comitatur umbra corpus,  
Et flammæ calor ustulantis ignis:

Æquè sic sociâ Tori fideli  
Orbatum manet & dolor Maritum.

Sed fas est tamen ut modum dolori  
Ponas, cum veniat Tyranna cunctis,  
Nec sese patiatur arte pelli

B

Ullâ,



Ullâ, quam Medici manus perita,  
Perquam sollicitè dedit paratam.

Nec Mors lusca nocet Piis, in uno  
Qui spem semper habent suam repostam  
Christo: qualis erat fidelis Uxor  
Pontani: Superâ sed Arce vivunt  
Expertes penitus malis, & omni,  
Quæ nos sæpe Solo manent, dolore.

Ergo Tu mala sustineto fortis,  
Quæ jam mens tua percipit: Videbis  
Olim, cum superi feret voluntas  
Patris, non sine gaudio, Maritam  
Rursus, perpetuosq; junctus Ipsi,  
Cum cætu superiorum ages in annos.

*Σοφιστὴς τὴν αὐτῆς ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ἀποκαθάρσει*

M. CHRISTOPH. Schulz  
Gymn. Magd; Collega.

*S*æpè salutaris Medicinæ respuit usum  
Passio, si vehemens sit dolor ac nimius.

Inde fit, egroto Medicus quæ pharmaca dextrè  
Applicat, ut quoq; sint irrita sæpè tamen.  
Christianum sed, qui Medicinæ respuat usum  
Spiritualis, non condecet esse bonum.

Christianum Medicum norunt, Clarissime Doctor,  
Te quotquot norunt esse, proinde scies  
Optimus ut Medicus, Christianus & optimus, usus  
Quis Medicinæ sit verus, & usq; bonus.

Atq;

Atq; tuo noris cordi applicuisse dolenti,  
Passio cui vehemens, cui dolor estq; gravis  
Conjugis ob Marthæ dilectæ fata suprema  
Novisti ereptam hanc omnibus esse malis  
Quæis exposita fuit. Vita satura illa beata  
In cælis per agit tempora lata nova.

Liberalis observant. juxtim ac  
Christian, Sympathiæ  
ergò scr.

DAVID PIGRITIUS  
Gymn. Magd, Coll.

*L*ugere haud mihi propositum est nunc temporis  
Qui vitæ extremâ claudit in orbe diem: (illum,  
Sed potius gratabor ei nunc temporis omni,  
Qui vitæ extremum claudit in orbe diem.  
Nam si unquam satanas, si unquam inclementia  
Si fraudes unquam, si viguere doli. (mundi,  
Nunc sat ubiq; vigent mundi inclementia, fraudes,  
Nunc regnat satanas; judice ritè DEO.  
Isthæc qui tecum moriens, Matrona, triumphat,  
Lugubri versu num mihi flendus erit?  
Non ita: sed veluti cûivis, sic & Tibi grator,  
Quòd vitæ extremum clauferis orbe diem.

*properante calamo, debite  
observant. E. adp.*

GEORGIUS Krieschke/  
Coll. Gymn. Elisabet.

Discebis



**B**leiches bey dem Alten Bunde: Wir müssen alle sterben.  
 So bleibt vns auch der trost. Das wir drum nicht verderben.  
 Dieß ist nun auch mein Trost/ weil auff der Todten-bahr  
 Jetzt lieget die/ die mir statt einer Mutter war.  
 Obzwar Ihr Leib/ dieweil er kommen von der Erden /  
 Im Grabe wieder muß zu Staub vnd Asche werden /  
 Bad sein der wärme speiß. In dem der Apffel-bieß/  
 Auff keinen andern weg sich nicht verdäwen ließ :  
 So ist Ihr Geist doch schon dahin/ wo er herkommen /  
 Auff Seinen Himmel zu/ auß welchem Er genommen/  
 Daß theil der Göttlichkeit. Vielleicht ist auch nicht weit/  
 Der letzte Tag der Welt / vnd folgend' Ewigkeit/  
 An welchem Seel vnd Leib zusammen kommen werden/  
 Gar auff viel besser art / als hier auff dieser Erden /  
 In stetter Wonn vnd Frewd bey sammen ewig sein/  
 Für Gottes Angesicht' ohn alle Qual vnd Pein:  
 Diß sol auch Euer Trost/ Herr Doctor! sein vnd bleiben/  
**GOTT** laß in Eurem Herz denselben fest bekleiben.  
**GOTT** tröst auch alle/ die mit Euch recht sein betrübe  
 Verwandten vnd die Sie sonst Christlich hat geliebe.  
 Die Seelige Frau lebt / in recht verk lärten leben/  
 Vnd wenn Sie köndte daß vns zu verstehen geben/  
 So würde Sie gewieß/ als eine Doctorin/  
 Mit solchen worten vns erquicken vnsern Sinn :  
 Ich finde mich / Gottlob / an einem sichern orthel/ (worte  
 Bey **GOTT** dem **HERREN** selbst/ nach Seinem wahren  
 Darumb nimb Gottes wort in acht/ mein fromer Christ!  
 Dieweil du deines heils dadurch versichert bist.  
**GOTT** Helf dir ewig.

